Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3145
Quelle:
Copyright:

DCCCCIII.

132 Codex, ut antecedens, et ejus Pars altera, Folior. 20. f. continet *Preces* ante et post susceptionem *Eucharistiae* dicendas.

DCCCCIV.

404 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 57. 4. luculente scriptus, *Iconibus Sanctorum* nunc 23. periit enim Icon *Sebastiani*, ornatus, literis initialibus et limbis florulentis auro coloribusque decoratis, sacras *Precationes* continet ad usum quondam *Alberti* VI. Archid. *Austriae* filii *Ernesti* dicti *Ferrei*, et fratris *Friderici* III. Imp. anno 1463. aet. 45. defuncti, cujus sedentis, togati, capite pileum archiducalem gestantis, capillo, barbaque flavescente, et manibus corollam precatoriam volventis Effigies conspicitur *fol.* 1. p. 2. Liquet istud ex *oratione fol.* 27. ubi: *Et me indignum famulum tuum Albertum vnacum omni gradu ecclesiastico in omni sanctitate custodi.* Initium porro facit *Calendarium* prima fronte Scutum gentilitium Archidd. *Austriae* exhibens, in quo peculiariter rubra Festa *Valentini* ep. *Blasii* ep. *Floriani* Mart. *Gangolfi* Mart. *Johannis et Pauli* Martt. *Vdalrici* ep. *Margarethae* virg. *Inuentio s. Stephani. Translatio s. Valentini. Oswaldi* regis. *Augustini* ep. *Egidii* abb. *Colomanni* hic dicti ep. et *Nicolai* ep. Deinceps sequuntur *Evangelii S. Joh.* initium, *Psalmi* dicti *Poenitentiales*, *Litaniae OO. SS.* in quibus raro exemplo S. *Hector* et S. *Czimburga* invocantur; *Czimburga* putem ob nomen Matris *Alberti*, quae *Alexii Massoviae* Ducis filia fuit. Haec excipit *cultus* variorum *Sanctorum* per *Antiphonam*, *Versum* et *Orationem*, praefixis, ut supra dictum, depictis Singulorum iconibus. Tum rursus quaedam *Precationes ad Christum*, quae in praeviis *Rubricis* dicuntur Indulgentiis roboratae a *Bonifacio* VIII. item *Gregorio* M. item *Nicolao* V. et *Callisto* III. *anno Pontificatus sui secundo*, unde adparet Librum nostrum non nisi post an. 1455. scriptum fuisse. Finem imponit *Hymnus ad* B. V. versu hexametro:

O veneranda dei mater benedictaque virgo
Salue millesies pulcherrima nympha maria &c.

praevio schemate picturato *Quercus*, cujus singulis foliis titulus quidam Servatoris v. g. *Ihesus liber signatus. Jesus vultu velatus* &c. singulis vero glandibus virtus aut proprietas Ejus aliqua inscripta est, puta: *Eternitas diuini regni. Equitas futuri iudicii* &c. Arbor haec ad imitationem illius facta videtur, quae famoso *Conformitatum S. Francisci cum vita I. C. Libro* in edit. *Mediol.* 1510. et 13. f. facem praefert, multoque jam ante in *Mss.* praetulerit.